



Wd. 67

-12-

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
*De*  
**JURE DOMINI IN  
PRÆDIO SERVIENTE,**

*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPTE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSÆ MARCHIONE BRANDENBURGICO,  
AC DUCAT. MAGDEBURG. GUBERNATORE &c. &c.

IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA  
EX DECRETO ILLISTRIS FACULTATIS JURIDICÆ,

*P R A E S I D E*

**DN. HENRICO BODINO, JCto,**  
S. REG. MAJ. BORUSS. CONSILIAR. ECCLESIAST. IN DUCATU  
MAGDEBURG. ET PROF. JUR. ORD. h.t. DECANO,  
PATRONO SUO ÆVUM COLENDO,

**PRO LICENTIA**

Summos in utroque Jure honores & privilegia

Doctoralia legitime consequendi,

IN AUDITORIO MAJORI

Horis ante & pomeridianis,  
solenni Eruditorum disquisitioni submittit

**JOH. FRIDERICUS SEUPEL, N. P. C.**  
ALTERNBURG. MISNIC.  
*Ad D. Decembr. M DCCV.*

---

HALÆ MAGDEBURG. Typis Joh. Jac. Krebsii, Acad. Typogr.

6.


VIRIS  
ILLUSTRIBUS, EXCELLENTISSIMIS  
DOMINO  
HENRICO HILDEBRANDO  
ab EINSIDEL,  
DYNASTAE IN LUMPIZIG ET HOHEN-  
KIRCHEN, SACRAE REGIAE MAJESTATIS POLONICÆ ET  
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ AD SUPREMAM CU-  
RATELAM CONSTITUTO CONSILIARIO INTIMO, ET IN  
DUCATU MARTISBURGENSI CANCELLARIO, NEC NON  
PROVINCIAE PRINCIPATUS ALTBUR-  
GENSIS DIRECTORI,  
&  
DOMINO

JOH. GEORGIO DOEHLE, DYNASTAE IN ROEDA, WINDISCHLEU-  
BA ET DORNBURG, SERENISSIMO ELECTORI SAXONIÆ  
A CONSILIIS INTIMIS, VICE CANCELLARIO ET REGIMI-  
NIS ECCLESIASTICI ALTBURGENSIS  
PRÆIDI,

DOMINIS, MECÆNATIBUS, AC PROMO-  
TORIBUS SVIS GRATIOSISSIMIS SVBMISSIS  
DEVENERANDIS,  
ULTIMUM HOC ACADEMICORUM STUDIORUM  
SPECIMEN,

SACRUM DEVOTUMQUE ESSE JUBET

AUTO R.



I. N. D. N. J. C.

Thef. I.

**D**ominia rerum; ex cupiditate carnis ac oculorum orta, pri-  
mum in rebus mobilibus, (necessi-  
tate ex peccato inducta ita exigente) per occupationem quæsitis obtinuisse, eum,  
immobilia vero communi usui pri-  
mitus relicta, ac eo loco fuisse, quo res naturaliter  
communes in jurisprudentia Romana referuntur, ex  
sacra pariter ac profana antiquitatis historia colligi po-  
terit, quamvis enim in immobilibus quoque, ad agri-  
culturam exercendam, ut & casam alienare structuram  
vel receptacula ædificanda, aliquod occupationis jus  
absque omni dubio obtinuerit, sicut & in rebus natu-  
raliter communibus idem procedit, *l. pen. ff. de Rer  
div. l. 50. ff. d. acqu. rer. domin.* ad illum scil. effectum ut  
ab his, quæ alicujus industria posita aut nata erant, a-  
lii abstineant. *arg. l. 4. d. Rer. div. §. 1. inf. eod.* non ta-  
men ad exclusionem qualiscunque alterius utilitatis  
quam alias exinde capere posset, *d. l. 50. d. acquir. rer.  
dom.* aut quin sublati adibus aut collectis fructibus in-  
dustrialibus vacuam a præsenti usu possessionem alii su-  
is commodis adhibere queant, *arg. l. 6. d. Rer. div. im-*

Rerum mobi-  
liis verum  
& plenum do-  
minum oc-  
cupatione ab  
initio queſi-

immobilium  
vero tantum  
usus tempo-  
ralis, ut in  
rebus com-  
munibus.

A

pri-

primis si aliorum commoditas in tali utilitate consistebat, quæ illi qui fundum in proprietate tenebat, ha-  
ctenus innoxia videbatur, vid. H. Grot. d. J. B. & P. lib.  
2.c.2,n.6.

## Thes. II.

Ex qua antiquissima consuetudine jura prædio-  
rum pro vicinorum innoxia utilitate primum orta, ut  
e. gr. innoxius transitus vicino per vicini fundum, aut  
innoxia utilitas pastura pecorum in agris a frugibus vacuis, vel agen-  
di per alterius fundum aut ex eo aquæ haurienda facul-  
tas, item stillicidii alteriusve aquæ in vicini fundum  
immittendi consuetudo similiaque invaluerunt; quæ  
quidem ab initio sola naturali æquitate innoxiae utili-  
tatis introducta, ab ipsis proprietarii arbitrio depen-  
debant, quippe qui quemvis aliuni fundum ipsius in-  
gredi, aliamve utilitatem ex eo capere volentem natu-  
raliter prohibere potest. arg. §. 12. in fl. d. Rer. div. cum  
non consentaneum videatur, aliquem sui commodi  
causa aliena prædia invito Domino intrare, l. 16. ff. d.  
serv. Rus. imo injuriarum conveniri posse, qui prohibe-  
tente Domino ex re, quæ alterius Dominii est, utili-  
tatem capere sibi præsumit, l. 13. in fin. ff. d. injur.  
Multiplicato autem genere humano ac singulis terræ  
partibus occupatis, luxu quoque & habendi cupidita-  
te magis magisque excrescente, mutua illa ac spontanea  
charitatis officia certis juris vinculis ad necessitatem  
præstationis sunt redacta, ita quidem, ut si intuitu cer-  
tæ utilitatis ex prædio vicini, majus commodum al-  
terius prædio accedat, ex quo redditus ejus aut œcono-  
miaæ commoditas augeatur, alter vero ex morositate vel  
invidia non tantum vicino nullam quamvis innoxiam  
uti-

quæ semper  
iterum pro-  
hiberi potest.

quomodo in  
necessitatem  
juris transfe-  
rit

45(5) 50

utilitatem fundi sui concedere, sed & ab ipso vel antecelloribus jamdum concessam non amplius tolerare velit, ex quo vicino non leve damnum etiam circa usum rei propriæ redundaret, ejusque Oeconomiaæ dispositionem turbaret, tunc determinari queat, utrum tale jus in fundum contradicentis domini competit, nec ne, & sic civili autoritate hisce difficultatibus ac vicinorum litigiis occurri, & per legitimos tramites pax & concordia inter cives invicem conservari possit.

Thef. III.

Unde porro distinctiones enatae, utrum communitates ex alieno prædio prætensiæ, prædio vicini per-  
petuam utilitatem afferant, ex quo fundamento ori-  
untur jura prædiorum seu servitutes reales, an vero  
non perpetuam causam seu continuam certi usus ac uti-  
litatis circumstantiam involvant, tunc enim rem ipsam  
non afficiunt, nec servitutum nomen merentur, l. 28.  
¶ 29. d. serv. præd. urb. unde quoque est quod ei qui vi-  
cinus non est, seu ubi per Dominum fundi intermedii u-  
sus talis juris impediri posset, servitus acquiri nequeat,  
l. 14. in fin. ff. d. alim. vel cib. legat. l. 7. §. ult. & l. ult. ff.  
d. serv. præd. rust. l. r. d. serv. præd. urb. item quod illa,  
qua magis jucunditatem vel amoenitatem usum ex re  
aliena percipiendum concernunt, & magis examore  
erga certam personam quam ad augendam utilitatem  
prædii concessa sunt, naturam precarii retineant, &  
sic nulla præscriptione obstante quandocunque revo-  
cari possint, remque ipsam non afficiant, nec tertium  
possessorem obligent, in quo verus intellectus l. 8. ff.  
d. serv. consistit, quod vero certæ quidem personæ  
non tamen ad infructuosam amoenitatem sed ad perpe-

in quo for-  
malis conce-  
ptus servi-  
tis prædialis  
consistat.

formalis con-  
ceptus servi-  
tutum per  
sonalium.

tuam utilitatem ejusque conservationem ex re alterius  
 debetur, ita ut utilitas illa immediate ex usu alterius  
 rei dependeat, servitus personalis denominatur, qua-  
 rum servitutum plures species quam in jure Romano  
 enumeratae sunt, scilicet usus, usus frumentorum, habitationis, &  
 operarum servorum non agnoscimus, & licet e. g.  
 eundi, agendi, aquam hauriendi, simileque jus alicui  
 certae personae concedatur, illa tamen concessio praediu-  
 m ipsum non afficiet, nec servitutem producit, sed  
 juxta conventionis limites obligationis naturam habe-  
 bit; quod eleganter illustratur in l. 14. §. 3. d. alim. vel cib.  
 legat. dummodo in illo textu in signum distinctionis  
 post verba: est Servitus ponatur, & sequens periodus sic  
 legatur; personae tamen ei, qui vicinus non est, NON inu-  
 tiliter relinquitur. Quamvis enim violentam manus ad-  
 hibitionem ad textus corrigendos vel supplendos aver-  
 semur, tamen hujus locitam antecedentia quam im-  
 mediate consequentia manifesto ostendunt, loco inu-  
 tiliter, legendum esse non inutiliter.

## Th. IV.

Cum autem de servitutum tam praedialium quam  
 personalium juribus in omnibus commentariis satis  
 prolixie agatur, singularum servitutum naturam ex-  
 cutiendo ut plurimum tamen dubium relinquatur  
 quid juris ipsi domino circa eandem alteri con-  
 cessam utilitatem rei propriæ remaneat; ex quo varie  
 lites oriuntur, constitui hac inaugurali, Jus ipsius Do-  
 mini in fundo serviente paucis delineare, illudque non  
 nullis exemplis illustrare; quem meum laborem cu-  
 jusque veritatem sine præjudicio indagantis æqui cen-  
 soris judicio submitto, ejus placide monenda gratissi-  
 mo

Seopus dispu-  
 tationis

mo animo accepturus, & errores (si horum quod non  
spero, convinci possim) agnitus.

Th. V.

Quemadmodum vero naturalis effectus dominii,  
in plenissima fruitione rei sue quam maxime consistit,  
nisi quatenus ipse Dominus alios quoque alicujus utilitatis in eadem participes reddere velit, juxta tritum illud; quisque rerum suarum moderator & arbiter; & sic servitutes prediorum, quibus res aliena invito domino alterius usui subjicitur, & que sint contra naturam dominii ac servitutes personarum, naturali libertati contraria dicuntur, §. 2. I. d. jur. perf. naturalia vero semper inesse presumantur, donec abesse probentur, vid. I. 11. §. 4. & 13. ff. d. act. emt. facile apparer, omnem fundum prasundi liberum donec alter jus aliquod servituris in eo ipsi competens probaverit, quale jus sine domini concedentis voluntate constitui nequit, §. 4. inst. d. serv. pred. licet enim aliquis etiam per longiora tempora certa quadam utilitate ex alterius fundo non vi nec clam usus sit, quod haec tenus non dissentiente domino factum intelligitur, tamen cum ex primario dominii jure, per ante deducta domino mera facultas competit alterum prohibere ut ab ipsius fundi utilitate abstineat, ex sola pristina usurpatione, contra dominum fundi jam prohibentem, nullum validum jus oriri posse, veteres non sine fundamento existimabant, cum dominus fundi allegare posset se alterius usurpatam utilitatem ipsius fundi, tanquam haec tenus ipsi innoxiam eousque permisisse, non tamen ita quin ipsi non liberum manere debeat, de fundo suo pro lubitu disponere alterumque ne fundum suum am-

Servitus est  
contra natu-  
ram domi-  
ni.

inde sine vo-  
luntate do-  
mini non  
competit.

rie solo usu  
acquiruntur.  
cum domi-  
nus fundi al-  
terum sem-  
per prohibe-  
re posse.

plius

ni si semel in  
irrevocabile  
jus vicini  
concesserit.  
occaſio legis  
Scribonianæ.

(35)

plius accedat prohibere, niſi alter probet dominum  
temel cōſenſiſſe ut in ipsius fundum vicino irrevoca-  
bile jus competat, & cum imprimis apud Romanos  
inferiores qui plebi annumerabantur, illis qui Sena-  
torii vel Equeſtris ordinis erant, vel ex reverentia, aut  
libertina obsequii ratione, vel ex timore majoris vio-  
lentia, ſoepius utilitates aliquas fundorum fuorum  
concederant, quod temporis intervallo accedente,  
poſtea pro irrevocabili jure prætendebatur, ideo Cæ-  
lio Curio Tribuno plebis rogante, (una cum lege agraria  
opulentissimam potentiam patritorum refrenan-  
te,) plebiscitum factum, qua uſu capio ſervitutis in al-  
terius fundo expreſſius prohibebatur, vid. Cælius Epif.  
famil. lib. 8. cuius plebisciſti ſub legis scriboniaꝝ deno-  
minatione mentio fit. in l. 4. §. fin. ff. d. uſu. alias quo-  
que lex Viconia dicta. Hinc de illo qui ſolo uſu, & longa  
ꝝ poffitionis prærogativa ſervitutem prætendit, di-  
citur, quod ſervitutem jure imposita non habeat, l. 5.  
§. 3. ff. d. itin. ac tuque priv. quamvis ex eodem textu &  
proposito in dict. tit. interdicto appareat talem uſur-  
patorem haſtenus contra privatam vim tuendum eſſe  
donec de ipſo negotio, judicialiter cognosci poſſit vid.  
l. 1. §. 2. ibid. ubi tamen non probata concesſione cauſa  
cadit l. 14. pr. ff. d. servit.

#### Th. VI.

Cum autem perinde ſit utrum dominus fundi ex-  
preſſo ſuffragio alteri perpetuum & irrevocabile jus  
concederit, an vero illi quod alter ad ostendendum a-  
nimū, perpetuo habendi & exercendi juris, in ipsius  
fundū conſtituit, non contradixerit, l. 32. §. 1. ff. d. le-  
gib. preſertim ſi legibus determinatum tempus acceſſe-  
rit; dummodo tales appaſtant circumſtantia ex qui-  
bus

bus indubitato colligi posse, alterum usurpatam utilitatem, in perpetuum prætendere, quod per perpetuam causam in servitibus requisitam indigitatur. Ideo talibus circumstantiis præsuppositis, jus aliquod in alterius fundo, ordinario tempore quo & ipse fundus & olim & nunc usucapi & acquiri posse, contra Dd. Commun. asserere non dubitamus, vid. l. 13. C. d. servit, & aqua. quod elegantissime illustratur in l. Foramen, 28. ff. d. servit. urb. pred. ibi enim perpetuum jus aquam immittendi in fundum vicini ex eo solo acquisitum esse negatur quod quis foramen in parietelongo tempore habuerit lavandi pavimenti causa, cum cuilibet liberum sit foramina in parietibus suis habere, & si forte ex tali foramine haec tenus aliquid in vicini fundum immisum fuerit, non tamen exinde perpetuum jus contra illius fundi dominum acquiritur, quin hic jure suo illud quandocunque prohibere possit, nisi vel ædes ita exstructæ sint ut aqua pluvia per tale foramen perpetuo in vicini fundum excurrere debeat, vel foramini fistula vel ductus in fundum vicini eminens additus; daß ein Gossen-Stein oder Gerinne darein gelegen sey / wodurch das Wasser auf des Nachbarn Grund geleitet würde; ex quibus circumstantiis appareat, quod dominus ædium tale perpetuum jus ædibus suis prætendere velit, tunc enim tacita per longum tempus continuata concessio ne servitus fluminis ita acquiritur, vid l. ult. inf. C. d. prescript. long. temp. l. 10. §. 1. ff. d. usuc.

## Thes. VII.

Neque admittenda hic est distinctio inter bonæ & mala fidei possessorem, vel utrum error causam servituti dederit vid. Struv. Synt. jur. Civ. Exerc. 13. th. 38.

B

Cum

Cum patientia alterius per tanta temporum spatia sit  
 vice tituli, seu expressæ concessionis l. 10. ff. si serv. vina.  
*l. ult. d. servit.* dummodo alter nec vi nec clam nec pre-  
 cario, haec tenus ita in perpetuis circumstantiis servitu-  
 tem involventibus, usus sit, utpote quæ vitia sola, tali  
 juri in omne tempus obstant *l. 10. in fin. princ. ff. si serv.*  
*wind.* & hoc non tantum in servitutibus urbanis sed et-  
 iam in rusticis procedet, cum & aquæ ductus, rivis scil.  
 vel canalibus per alterius fundum positis, longo tem-  
 pore acquiratur, *dict. l. 10.* Si vero tale perpetuum ve-  
 stigium servitutis non appareat, probari tamen possit  
 ejus usus per tempus hominum memoriam exce-  
 dens, tunc ex tali immemoriali usu concessio ser-  
 vitutis præsumitur; quo pertinet textus in *l. 3.*  
*§. 4. ff. d. aqu. quotid.* interim non tantum diu-  
 tinus sed & interdum ultimi anni usus impe-  
 dit, quo minus dominus fundi alterum via facti seu  
 per vim prohibere possit, eodem modo porro quo ha-  
 ec tenus utilitatem ex fundo vicini capere, quo interdi-  
 cta de aqua quotidiana & astiva, item derivis, de Fon-  
 te &c. pertinent vid. *l. 5. §. pen. ff. d. itim. aetique priv.*  
 Unde in violenta prohibitione ejus qui ultimo tempo-  
 re, prætenso jure usus est, recte plenaria restitutio de-  
 cernitur, ac eidem vim fieri interdictur. *dict. tit.* Quod  
 non applicandum ad casus ubi quis implorato judicis  
 officio, in fundo suo, prætensam alterius quasi possessio-  
 nem alicujus utilitatis, admittere nolit, tunc enim nisi  
 servitus legitime constituta vel immemorialis posses-  
 sio probetur, potius ad domini prohibentis volunta-  
 tem, quam ad alterius usurpatum usum respiciendum,  
 quippe quem Dominus jure suo semper revocare &  
 impe-

impedire potest: Unde iniqua est sententia qua ad probatum momentaneum vel ultimi temporis usum aliquius prætensi juris in fundo alterius pronunciari soleat,  
 Dass N. bey der quasi possession dieser oder jener Gerechtigkeit auf eines andern fundo so lange zu schützen/ bis der dominus fundi in petitorio ein anders ausmachen/oder erhalten/ wäre potius itsa pronunciandum, das beklagter oder nemo sine implorat, der bisher angemessen/ und nun von dem im probata legi- ploranen als Dno. fundi wiedersprochenen Gerechtigkeit time confli- fisch zu enthalten schuldig/ er könnte und wollte dann/ dass ihme rata servitute eine solche gerechtsahme beständig conceder seye/ oder er in ejus pos- und seine Vorfahren dieselbe von ohndenklicher Zeit herge- ssessione tue- dus est.  
 bracht binnen gewöhnlicher Frist beybringen/ damit wäre er billig zu hören/ bis dahin er gegen alle eigenhätige Gewalt zu schützen. Quod enim vulgo putant Domino fundi contra illum qui manutentiam juris alicujus in ipsius fundo obtinuit, satis prospectum esse per instituendam actionem negotoriam, qua statim onus probandi in adversarium transferri contendunt, tamen & sic tantum multiplicarentur lites, verum etiam absurdum est, aliquem pro legitimo quasi possessore judicatum esse, & tamen jus suum contra alterum probare debere, l. 2. ff. uti possid. §. 4. Inst. d. interd. l. 2. C. d. probat. l. f. C. d. Rei Vind. imo cum revera servitutis nulla sit possessio, scil. ab ipsa servitute distincta. l. 2. pr. ff. d. acquir. vel am. poss. junct. l. 4. §. 27. d. usuc. & nemini competit in fundo quem alterius esse agnoscit invito Domino quidquam prætendere, nisi jus ad hoc ipsi competens docere possit, l. 11. C. d. servit. Et aqua. absurdum est aliquem contra Dominum fundi in quasi possessione tueri, in tali negotio cuius contradicatio

vel prohibitio a mera facultate Domini semper dependet, si autem contra dominum prohibentem jus quasi possidendi obtinuit, illud tamdiu firmum manebit donec ab altero contrarium probatum fuerit; Et quid, si in priori sententia super quasi possessione contineatur das legter so lange bey der quasi possession der Gerechtigkeit zu schühen / bis der ander Theil in ord. poss. vel petitorio ein anders erweisen würde? Anne tunc sola allegatio libertatis sufficiet? sane autoritas rei judicatæ agenti semper obstabit, donec illis qua ipsi in sententia reservata erant satisfecerit.

Unde tunc demum prædictione probata dominus vitiōsam possessionem alleget.  
*Nisi prescrip-*  
*tione proba-*  
*ta dominus*  
*vitiōsam pos-*  
*sitionem al-*  
*leget.*

Et sententia locus erit, si servitutem prætendens ejus usurpationem per tempus lege definitum, quo plenissime acquiri posset, probaverit, (tunc enim demum in quasi possessione ejus esse dici poterit,) alter vero illam usurpationem utilitatis ex fundo suo, vi clam vel precario factam, aut soepius interruptam prætentat, tunc enim ejus probatio ipsi Domino merito reservanda nec in adversarium rejicienda vid. *I. i. & 2. C. d. servit. & aqua.* ex solo enim facto usurpatæ utilitatis in vel ex fundo alieno, sine probata servitute legitime constituta nulla quasi possessio juris oritur. *vid. I. 10. & II. dist. tit. junct. I. 2. in fibid. I. 14. pr. ff. d. servit.* non autem aliter quam per conventionem seu legem cum ipso Domino factam, aut vetustatem hominum memoriam excedentem, servitutem acquiri certum est *I. 1. pr. ff. d. aqua. & aqua. pluv.* & non probata servitute, propriarius ipso facto, alterum impedire potest *I. 10. C. d. Serv. & aqua.*

## Th. IIX.

Neque tamen tantum jus Domini fundi in eo consistit, ut utilitati, ab ipso in perpetuum servitutem non

non concessæ, nec immemoriali tempore sine interruptione acquisitæ, licet vicinus eandem hactenus usurpaverit semper contradicere, eamque prohibere possit. Sed quoque etiam si legibus determinato mō. *Libertas ordinis servitus perfectissime constituta sit, ut contra illam natio ulicari impediendo usum alterius 10. annis inter præsentes, & pionis temporis acquiritur.*

20. inter absentes fundum suum liberare queat, quamvis ipsum jus servitutis contra Dominum, nonnisi hujus consensu aut immemoriali tempore acquiratur, per retro dicta vid, l. 13. C. d. seruoit. & ag. l. 16. §. 1. c. d. Usufr. & habis. & hæc præscriptio libertatis locum habebit si ve servitus continua, sive discontinua dicatur nisi expresse ad mensum vel alia temporum intervalla constituta sit, runc enim sine distinctione præsentiae vel absentia 20 annis non utendo amittitur l. 14. C. d. servit. & aqua vid. Godofr. in not. ibid. l. 7. ff. quom. serv. amitt. neque interest utrum ipse cui debebatur servitus, an alias qui in possessione ipsius fundi fuit eandem neglexerit vid, l. 8. §. 5. ff. d. precar. Et siquidem ab ipso Domino fundi, vel expressa contradictione, vel facto aliquo, usus servitutis per longum tempus impeditus sit, ad illam postmodum non datur regressus, si ne distinctione, utrum servitus rustica vel urbana sit, l. 8. quemadmodum serv. amitt. l. 6. & 7. d. serv. urb. pred. l. 4. §. ult. ff. d. usufr. si vero solus non usus allegetur, ad hoc respiciendum, utrum usus neglectus, a mera facultate utentis dependeat, an vero simul jus in fundum alterius involvat, priori casu, e. gr. si cui servitus prospectus vel luminum debebatur, & longo tempore fenestras suas obstructas habuerit, per solum non usum fenestrarum suarum, servitutem non amittit item erit si foramini ad tignum immittendum parato.

(145)

nihil immiserit, d. l. 6. d. S. Pr. Urb. vel res serviens ipsius Domini facto longo tempore plane non adfuerit, quæ postea restituitur. l. 18. §. ult. ff. quemadm. serv. amitt. posteriori casu, ubi scil. usus servitutis neglectus ipsum jus servitutis involvit, v. gr. si quis itinere, actu, jure pascendi, vel aquæ haustus idem existimamus, jure fluminis & stillicidii aut tigni immittendi &c. cum uti poterat longo te nōpore usus non sit; tunc sola omissione, & licet Domino fundi nihil in contrarium factum, servitus amittitur v. l. 35. d. S. Pr. Rusl. l. ult. d. serv. l. 19. quemadm. serv. amitt. cum simil. ut sic hic non respiciendum sit, utrum servitus ad usum urbanum vel ad rusticum debeatur, & hæc præscriptio plenisimæ libertatis ex negligentia alterius procedit, si tantum principalis utilitas servitutis neglecta, quamvis accessoriis interim alter usus fuerit, sic cui aquæ haustus ex fonte alterius debebat, pro quo iter quoque ad fontem ipsi competebat, si longo tempore aquam non hauserit, licet ad fontem iverit, & aquæ haustum & viam simul amisit l. 17. quemadm. serv. amitti. imo omne jus pro servitute petenda etiam ab ignorantе intra longum tempus amittitur, l. 19. §. 1. ibid.

Theſ. IX.

Servitus con-  
fusione subla-  
ta, per alie-  
nationem  
non revivif-  
cit.

Illud quoque indubitatum est quod si dominans postea simul fundi servientis dominium consequatur, vel contra, tunc servitutem exspirare, cum ita re propria, non jure servitutis, sed jure dominii pro lubitu utatur, quod vero tunc, quando fundus, quianea servitutem debebat, iterum in alium transfertur pristina servitus reviviscat, uti contendit Struv. jurisprud. lib. 2. tit. 7. §. 1. in fin. ex l. 18. d. servit. plane absconum est;

Non

Non enim in dicta l. regula proponitur de servitute post alienationem ab utriusque fundi Domino factam restituenda, sed exceptio adducitur, ut scil. in casu ubi ille cui servitus debebatur vicini heres extiterit, fundo serviente alteri legato, legatarius, fundum in statu, quo illum defunctus reliquit, habere & sic pristinam servitatem admittere debeat; simile quid dispositum, l. 7. §. 1. d. fund. dot. de fundo vicini serviente in dotem accepto & soluto matrimonio restituendo, & in l. 2. §. pen. ff. d. her. vend. ex eadem ratione deciditur, quod ille qui vicini fundi servientis dominium jure hereditario consecutus est, ipsam autem hereditatem alii vendidit, restitutionem pristinæ servitutis merito praetendat, cum ita ipse Autor jam presumatur heres extitisse l. 9. Comm. pred. quales exceptiones regulam in contrarium confirmant quæ satis diserte proponitur in l. 30. ff. d. serv. Pred. Urb. & l. 10. Comm. pred.

Th. X.

Potissimum autem jus Domini fundi servientis in eo consistit, quod cum Servitutes natura sua & ordinarie innoxiam utilitatem alterius contineant, semper ita servitute utendum sit, ne per hanc Dominus in usu rei propriæ impediatur, vel ejus conditio durior fiat, quod variis legibus & casibus in jure Romano illustratur. Sic qui altis suis ædibus stillicidium acquisivit, ex quo guttulae soepius per ventum direptæ decidunt, non poterit invito fundi domino stillicidium inferius dimittere, ne hujus durior causa fiat. l. 25. §. 5. ff. d. serv. pred. urb. Sic ubi totus fundus servituti obnoxius est, alter servitute illa civiliter uti debet, quo minimum dominofundi molestus sit, ut neq; per ipsas villas, vel per

*Omnia servi-  
tus cum mi-  
nimo proprie-  
tarii danni  
exercenda,*

*Jus venandi  
per alterius  
villas & hor-  
tos non ex-  
cedendum.*

medi-

medias vineas usum servitutis extendat, l. 9. ff. d. servit  
 ex qua decisione injustum appetet, quando illi quibus  
 jus venandi per aliorum fundos in certo districtu com-  
 petit, illud per ipsas villas vel segetes exercere sibi  
 præsumunt, aut quibus jus pascendi in prædiis vacuis  
 competit, impedire volunt, ne domini fundi in an-  
 nis quietis segetes ibidem habeant, das in die Brache  
 einige Sommerung zu sehen nicht befugt se in solten cum in-  
 dubitatum sit illos annos quietis, ad meliorem agro-  
 rum culturam in commodum ipsius domini destinatos  
 esse, ex quo omnem utilitatem domino denegari, &  
 propter servitutem debitam, fundum illo anno domi-  
 no prouersus inutilem esse, servitutem vero augeri, na-  
 turalem æquitatem offendit. Et quamvis per admini-  
 stratorum abusam autoritatem, aut pastorum iniqui-  
 tatem improbus talis mos in aliquibus locis obtinuerit;  
 ille tamen omni modo constringendus nec facile ultra  
 expresse probata, ad consequentiam trahendus est, ne-  
 que solo, licet immemoriali usu acquisitus esse cense-  
 ri debet, nisi & ipsa prohibitio, quod Domini usu rei  
 propriæ abstinere debeant, per tantum temporis spa-  
 tium obtenta sit: usu enim rei propriæ sub prætextu  
 alteri debitæ servitutis, (quæ juxta statutam cœterorum  
 annorum formam tantum in einer Stoppel oder Nachhude  
 consistit,) carere debere durum & crudelitati proxii-  
 mum dicitur, in l. 6. C. d. serv & aqua.

## Th. XI.

Eadem iniquitate nititur quod circa jus pascen-  
 di in pratis, die Hüfung des Viehes auf den Wiesen betref-  
 fend/ aliquibus altera graminis seu sceni collectio con-  
 cedatur aliquibus non, das eßliche Grummel Wiesen seyn/  
 eßliche

(17) 6

ehliche nicht ut sc. in hisce statim post primam collectio-  
nem foeni, reliquo tempore omnia gramina depascan-  
tur: dum autem propter solitam aquarum irruptionem  
aliasve soli circumstantias nonnulli hactenus non nisi u-  
nam foeni messem instituerunt, & tanquam sibi inno-  
xiūm concesserunt, ut post collecta prima gramina,  
reliqua pecoribus vicini depascantur, non videntur sibi  
omnem facultatem ademisse, de re sua alio modo  
disponendi, & si voluerit pascua illa ad aliū usum  
adhibendi, dummodo vicino jus pascendi post fruges  
collectos non denegetur; sc. die Machhude / oder Stop-  
pehude zu exerciren; illud autem plane ab omni justi-  
tia abhorret, quod prætendit soleat illis quorum pascuis  
jus repetenda messis non coherere dicitur, dasskine  
Grummets Wiesen seyn / certum tempus determinare, in-  
tra quod foenum colligere vel eo effluxo depabulatio-  
nem graminis exspectare debeant; quid enim crude-  
lius circa proprietatis jus contingere posset, quam Do-  
minum rei propriæ onera ferre debere alteri vero o-  
mnem utilitatem ex eadem concedere; proinde vel  
admittendum erit, ut proprietarii pascuis suis pro me-  
liori œconomia suæ commoditate, (dummodo non  
fraudulenter contra servitutem debitam) utantur, das-  
sie sich dessen haushwirtschaftlich gebrauchē / vel si certo & quidem  
exiguo temporis spatio jus Domini includatur, alii reli-  
quo temporis utilitate concessa, hic minimum residui  
temporis onera ferre deberet, cum juxta notissimam  
juris regulam nihil magis naturale sit quam incommo-  
da illum sequi, quem sequuntur commoda, & in specie  
nemini liceat in alieno alio modo versari quam ne fru-  
ctuum inutilitatem faciat, l. ult. inf. C. d. serv. & aqu.

C

Theſ.

**Proprietarius**  
cum eo cui  
servitus co  
cessa, circa  
eandem utili  
tatem con  
currerit.

Ex hac tenuis deductis illud quoque apparebit, quod in casu dubio proprietarius, utilitate alteri in servitutem concessa, prorsus abstinere non teneatur, sed in eadem cum altero concurrere possit; quemadmodum enim concessio alicui aqua haustu, huic non permittitur aliquid facere quo ipsius domini aquagium impediatur *l. 15. d. serv. pred. rufi.* & juri lapides ex aliena lapidicina cædendi ira utendum, ut neque usus necessarii lapidis intercludatur, neque commoditas rei, jure, domino adimatur, *l. 13. §. 1. ff. Comm. prædior.* ac non permittendum sit aliquem rei juris sui carere debere cum durum & crudelitati proximum sit, rem domino necessariam tantum ad vicinorum usum, horum injuria propagari. *l. 6. C. d. Serv. & aqu.* Neque enim e. gr. juri pascendi in agris suis post fruges collectos, vicinis concessa, ipsos proprietarios omni proprio juri renunciasse credendum est, & cum semper a mera facultate domini dependeat quomodo & quando res sua uti velit, contra illud jus Domini nulla nec immemorialis temporis præscriptio allegari poterit, nisi proberetur ad factam alterius prohibitionem dominum constanter acquiescisse. vid. Struv Synt. jur. Civ. Ex. 43. th. 22. n. 3. cum ibid. alleg. quo non probato, dominos non prohibendos esse, cum illo cuius pascendi in ipsorum fundis competit, pecora sua pascere, imo nova necessitate superveniente, servitutem habentem dominis cedere debere, defendere non dubitamus, quam opinionem solidis rationibus & argumentis quoque defendant Card. Tusch. Tom. 6. lir. R. Concl. 114. n. 2. Coler. 2. Derif. 218. incipit, nota quod jus pascendi. p. 1.

ubi

(19)

ubi allegat. ipsius Dees. 188. Vol. 2. Capoll. d. serv. rust.  
pred. c. 9. tit. d. serv. juris pascendi, n. 39. Modest. Pistor.  
illustr. qu. 106. & Conf. 7. qu. 6. u. 35. lib. 9.

Th. XIII.

Cum ergo in agris alicujus municipii Vicinus No. Exemplum im  
bilis, hereditariam ibidem jurisdictionem habens, ab iure pascendi.  
immemoriali tempore jus oves pascendi acquisiverat,  
ex crescente vero civium numero, Laniones aliique  
cives, pro quotidiana necessitate, nonnullas oves in  
propriis agris post fruges collectos pascere incipiebant,  
Nobili per pignorationes resistente ac se in eo solo fundante,  
quod ab immemoriali tempore nulla alia quam  
ipsius ovium gressus ibidem pasta fuerit, licet negari ne-  
queat illius oppidi sues aliave pecora ibidem pasta fu-  
isse, Praeses judicandum censuit, Civium illius oppidi  
intentionem eo magis fundatam esse, quo auctus ipso-  
rum numerus majorem consumptionem & paratum  
ovium aliquem numerum requirit, & sic salus publi-  
ca in hoc casu juri dominorum fundi adminiculetur.

Thes. XIV.

Præterea in casu ubi Nobili alicui jus venandiper aliud Exem-  
omnes agros vicini Nobilis competebat, cui exinde non plumb de jure  
leves molestiae exitabantur, tandem & hic ipse incepit  
in propriis fundis feris insidiari, ac venatorem & aucu-  
pem alere, und also stellen und Skurjag zu exerciren, de  
cujus jure competenti acris instituta est disceptatio, al-  
tero solitarium venandi jus & quidem ex literis investi-  
turæ sibi vindicanti; cui tamen Dominus fundi rege-  
rebat, illud quidem a principe per investituram conce-  
sum ut feras bestias in propriis & vicinorum prædiis ve-  
nari & persequi & sic cum canibus venationes exer-

ercere possit, daß er in solcher Gegend/den schallenden Jäger-Zug habe / und mit Hunden hetzen und jagen möge / exinde tamen ipsi ut domino non denegari ex naturali libertate in fundis propriis feras bestias capere; licet enim concedatur tale jus venandi, quo per aliorum privatas possessiones venatio & persecutio ferarum citra proprietatem*quatenus jus venandi ad Regalia pertineat.*

etariorum consensum ipso jure competat, regalibus minoribus accenseri, ac inde nemini nisi ex imperantis concessione competere, quæ tamen etiam ex veritate temporis cuius non extat memoria præsumitur; tamen hoc non confundendum cum naturali libertate fundum proprium venandi causa ingrediendi, & bestias, antea nullius, occupandi, cum ipse fundi dominus nec ingressione fundi, nec captura ferarum alicui faciat injuriam, potius ipse naturali suo jure utatur; cum & alias, quod nullius est naturali ac ita immutabili ratione, occupanti cedat. §. 11. & 12. inf. d. rer. divis. & cum alter validum prohibendi jus, probare non potuerit, quamvis probasset per hominum memoriam in loco controverso solum ex ipsius prædio venationes institutas esse; post varias contradictiones, dominum fundi, contra illum qui jus venandi habebat, obtinuisse ab Excellent. Dn. Præside relatum accepi.

## Th. XV.

Cum vero non tantum publicum venandi jus per aliorum prædia citra dominorum consensum ad regalia minora, uti dictum, pertineat, & sic nemini sine probata vel legitime præsumta principis concessione competat, multoque minus liceat publicos vel principis fundos eo prohibente venandi causa intrare; dict. §. 12. de rer. div. & contra tales prohibitionem commissum.

Plebejis nec in propriis fundis feras capere licet.

(21) 50

missum attentatum ac inde resultans injuria. l. 13. §. ult.  
ff. d. injur. eo gravius coercenda sit, quo haec propter  
injuriati personam atrocior existit; vid. §. 9. Inst. d. injur.  
Sed etiam privatis armorum usus inscio principe inter-  
dictus sit, rubr. & l. un. C. ut arm. us. priv. interd. Ideo  
facile apparebit, ea quae de Nobili circa capturam  
ferarum in fundis propriis dicta sunt, ad quosvis alios  
& plebejos extendenda non esse, potius ex justis causis  
saluberrime constitutum agnoscimus, ut negotiatores,  
opifices, agricolæ, similesque vel libertinae vel plebejæ  
conditionis & sortis, ab omnis generis venatione ab-  
stineant, & suæ professioni magis assiduam operam  
dent, vid. H. Grot. d. jur. B. & Pac. l. 2. c. 2. n. 5. & c. 8. n. 5.  
(ubi tamen cum Dd. commun. in hac materia obligatio-  
nem ex delicto contra prohibitionem commisso, cum  
ipsa acquisitione dominii male confundunt; licet enim  
verum maneat, contra prohibitionem venationes ple-  
risque interdictas ac improbos venatores puniendos  
esse tamen bestiam in naturali feritate ita captam, ca-  
pienti acquireti ex naturali ratione adhuc hodie certum  
est. dict. §. 12. d. R. D.) vid. d. probib. jur. ven. Georg. Mohr. bestia tamen  
tract. d. jur. ven. Kraisser. d. jur. ven. & pifc. Meurer capientis do-  
von Jagd und Forst Recht. Nullibi tamen Clarissimis ; minio co-  
qui hodie Nobiles vocantur) omnem capturam fera-  
rum interdictam esse legimus, potius cum Majestati-  
ca autoritate solemniter gladio decorati sint, & sic ar-  
morum usum obtinuerint, jus feram bestiam in loco  
proprio telo aliquo occidendi tam diu habere censem-  
di sunt, donec de facta prohibitione a superiore constet.

Th. XVI.

Et quia talis armorum usus ac concessum venan-  
Exercitium  
di venandi pri-

vita autorit-  
tare, plebejo  
sed nequit.

48(12) 50

dijus, dignitat<sup>i</sup> personæ vel certo ordini cohæret per acquisitionem prædii quod sine Nobilitate in non nobilem transfertur, sine singularissima de novo obtinenda gratia eidem non cohærebit, nec enim privato aliquo servitutis jure, tale venandi jus fundo cohærere, sed singulari privilegio personali lacquirendum esse ex retro allatis certum est: Et quamvis a principe tale jus recte impetrari possit. *dict. ut. ut arm. us. priv. interd.* privato quoque jus venandi habenti liceat illud per suos venatores in ipsius utilitatem exercere, vel alios adjutores & armigeros venandi gratia secum habere; tamen si vel procuratores ætarii principis, vel qualisunque administratores recip. aut Nobiles aliive quibus jus venandi concessum, sine speciali consensu principis, plebeium juris venandi ita participem reddere velint, ut hic pro suo arbitrio in proprium commodum per aliorum prædia venationi operam det, huic a Dominis prædiorum recte resistitur, multo magis inconveniens & ab omni ratione alienum est, si administrator communis, ius venandi clarissimo ordini concessum, (forte alicujns culinarii interesse gratia) cuidam pistori, futori, aut sordido opifici communicare, talibusque quasi publica autoritate concedere velit, ut canibus ac schlopetis jus armorum Nobilitati cohærens, ac venandi potestatem per aliorum fundos, una cum clarissimis quibus hoc competit exercere possit: quod sane abusum juris venandi contra publicas leges ac æui nostri confuetudines involvens facile privationem juris, ordini alias concessi, attrahere, ac aliis quorum interest æque ac quibusunque dominis fundorum per quos venatio instituenda ansam dare posset, talem incompe-

multo ruribus  
ab adminis-  
tratore com-  
munis cui  
jus venandi  
competit.

(23)

petentem venatorem & armigerum via facti ne fundos  
venandi gratia ingrediatur prohibere, illumque dis-  
armare ex quo infelices oriri possent eventus illi quam  
maxime imputandi, cuius autoritate ordines in re-  
publ. ita turbantur : Neque obstat civibus schlopetis  
ac armis uti licere. Illud enim tantum ad publica ex-  
ercitia aliosque publicos usus principis autoritate non  
vero ad privatum arbitrium, commodum vel volupta-  
tem competere, tam supra illatae leges & consuetudi-  
nes quam Sapientissimi Borussorum Regis Constitutio-  
ne gladio & armis famulis opificibus aliisque plebejis  
non concedendis liquido confirmant.

Th. XVII.

Ne vero de venandi jure extra oleas hic differuis.  
se videamur coronidis loco monendum, quod si quis servitus  
privatus sine singulari principis concessione jus venan-  
di per aliorum prædia exercere velit, illud inter servitu-  
tes prædiales referendum, & eodem modo quo alia  
prædiorum jura acquirendum ac civiliter ne proprie-  
tariis exinde damnum resultet exercendum sit. Et  
sic pedem figo, contentus circa jura domini in fundo  
serviente, illa extremis digitis tetigisse quæ respectu  
servitutis debitæ, varias controversias excitare tolent,  
circa reliquos proprietatis effectus, adjura communia  
notissima provocans. Iterumque benevolum lecto-  
rem rogitans, ut si quid hic minus solide vel juste af-  
fertum aut in aliquo aberratum existimet, illud festi-  
nationi adscribere, ac benebole interpretari, non ve-  
ro canino insultu ac morsu rejicere velit.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

# HENRICUS BODINUS, NOBILISS. DN. CANDIDATO, amico suo abiturrenti.

S. pl.

**I**c positis solidis injure funda-  
mentis, publico edito eruditionis spe-  
cimine, applaudente Inlyta Facultate  
Juridica hujus Fridericianæ omnibusque  
bonis, jam Academias relinquis, Summa Imperii  
Germanici judicia visurus, ut ex ipsis Magnarum  
rerum exemplis experiaris, quanta prudentia, illa,  
qua generaliter in Academiis proponuntur, se-  
cundum varietatem circumstantiarum, ad casus ob-  
venientes applicanda sint, ac quomodo cuique suum  
recte petendum, ac juste tribuendum sit. Vade er-  
go felicibus Auspiciis, & si porro te pariter exerci-  
tatum ac eruditum redde, ut respublica in partibus  
aliquando tibi credendis, tua industria ac sinceritate  
felix futura sit, ac semper uberior tibi gratulandi  
occasio mihi contingat, interim enixo voto peren-  
nis felicitatis te comitabor, hoc unicum monens, ut  
semper caveas circa sancta justitiae tractationem, su-  
catis transitorii boni illecebris, injustitiae devia vi-  
tare, vel ullam indevolutionem legitimis quasi vela-  
mentis protegere sic divinam assidentiam ubi-  
que invenies. Dabam Halæ Magdeb.

20. Dec. 1705.

Km 1128

Bd. 1-19

56

ULB Halle  
004 978 544

3




VD 18

VOA







DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS,  
*De*  
**JURE DOMINI IN  
 PRÆDIO SERVIENTE,**

*Quam*,  
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
 PRINCIPE BORUSSÆ MARCHIONE BRANDENBURGICO,  
 AC DUCAT. MAGDEBURG. GUBERNATORE &c. &c.,  
 IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA  
 EX DECRETO ILLISTRIS FACULTATIS JURIDICÆ,  
 P R A E S I D E  
**DN. HENRICO BODINO, JCto,**  
 S. REG. MAJ. BORUSS. CONSILIA. ECCLESIAST. IN DUCATU  
 MAGDEBURG. ET PROF. JUR. ORD. h.t. DECANO,  
 PATRONO SUO ÆVUM COLENDO,  
 P R O L I C E N T I A

Summos in utroque Jure honores & privilegia

Doctoralia legitime consequendi,  
 IN AUDITORIO MAJORI

Horis ante & pomeridianis,  
 solenni Eruditorum disquisitioni submittit

**JOH. FRIDERICUS SEUPEL, N.P.C.**  
 ALtenburg. Misnic.  
 Ad d. Decembr. M DCCV.

HALÆ MAGDEBURG. Typis Joh. Jac. Krebsii, Acad. Typogr.

6.